

Chronico, anno mundi ter millesimo septingentesimo quadagesimo tertio juxta suam Chronologiam. Itaque Trogus, & Josephus soli recentiores ponunt Tyrum, Curtius vero Agenoris urbem dicit. Eademque est sententia Chronici Alexandrini. Respondeo tamen multo illam esse vetustiore, quam Curtius scripsit, nedum quam Josephus, & Trogus, aut Chronicum illud. Cum enim Josue Palæstinam Israelitis fortiretur, anno mundi bis millesimo quingentesimo tricesimo, inter cæteras antiquas urbes, Tyrus munitissima appellatur, nullâ recentis originis mentione factâ, Josue 19. 29. anno videlicet ante Agenorem ferme centesimo, qui in Phœnicia Rex describitur à Chronologis verioribus sub anno mundi 2646. quando Cadmus ejus filius, jubente Patre, Europam forem furto ablatâ quærit. Itaque putandi sunt hi auctores de amplificatione Tyri locuti fuisse; nam eam ab Agenoris filio Phœnicie fuisse instauratam, atque Phœnicie metropolim factam ex Eusebio supra citato licet intelligere, observatque Adrichomius Theatro, in Afer num. 63.

Quoto anno Tyrus condita.

1499 Quoto autem mundi anno primum Tyrus sit condita, quæstionis est. Missis aliorum placitis, sanius viri eruditissimi tradidere, ab aliquo ex antiquis illis Noeticis nepotibus, qui urbes alias per Phœniciam fundasse noscuntur, nempe à Thira filio Japhet Tyrum fuisse conditam circa annum à diluvio ducentimum, uti censuit Jacobus de Vitriaco Aconensis Episc. in Hist. Hierosolymitana c. 43. Abulensis in l. 1. Paralip. c. 1. q. 5. Adrichomius in Theatro in Afer n. 84. Eugubinus, & Lippomanus Genes. 10. Cornelius in Ezech. 27. 4. Sallianus in Annalibus Ecclesiast. ad ann. mundi 2783. qui Josephum de amplificatione Tyri explicat. Neque dissentit Joan. Mariana Genes. 10. & Berosus lib. 5. de Temporibus, quam præter alios tuetur Anton. Guevara in Exegematis Habacuc c. 3. n. 139. Cujus quidem sententiæ illud efficax argumentum adduci potest, quod inter alias Phœnicie urbes, quas à nepotibus Noë fundatas esse constat, & quas numerat Adrichomius in Afer. n. 66. & in locis externis n. 7. 8. 9. 10. Tyrum Itaias antiquam vocat c. 23. 7. Quæ gloriabatur à diebus pristinis in antiquitate sua. Hebraicè asseritur: à diebus antiquis antiquitas ejus. Dionysius Alexan. in Periegesi Berytū canit amœnam, Bibliū maritimam, Sidonem floridam, sed Tyrum vetustam, caesam. Et Poëta 4. Æneid. antiqua Tyros dixit. Strabo omnium Phœnicum dicit antiquissimam, lib. 16. Geographicorum. Potuit ergo Tyrus circa ducentimum diluvii annum fundata, Colonias in Hispaniam emittere anno quingentesimo, uti supra statuimus. Falluntur itaque opinio Florianus lib. 1. c. 27. & l. 2. c. 6. & alii, qui eo argumento Colonias Tyrias in Hispania recentiores putant, quod Tyrus illarum mater recentior sit; quod eruditè Joan. Puente impugnat l. 2. de Monarchia Ecclesiastica & Catholica c. 6.

SECTIO XXII.

1500 Adhuc alia prælibantur, commendanturque Hispaniæ, & Granata, duæ Tyri vetusti Herculis Colonie nobilissimæ.

Hispania Tyria, nobi.

Rogabis deinde, an Hispania Tyria nobilitate & dignitate superet reliquas Tyri

filias? Omnino reor, Tyriam nostram Hispaniam exteris omnibus excellere fororibus illi striori nobilitate. Hæc porro his numeris absolvitur, genere, gestis, litteris, religione, opibus. Singula sigillatim percurro. Igitur si nobilitatem ex claritudine generis, rebusque à majoribus præclare gestis metiamur, vel ex hoc quidem argumento nostratrem Tyri primogenitam filiam cæteris natu minoribus præferimus. Hanc enim primus ille Tyrius condidit Hercules antiquissimus, quem immania monstra, orbem infestantia, perdomuisse, totumque ad humanos composuisse mores, fama fuit certa, cui gravis auctor Diodorus Siculus ad stipulatur lib. 1. Bibliothecæ Historiæ c. 2. Multò itaque nobiliorem parentem jactare poterit Hispaniensis Tyri filiam, quam aut Bæotiensis Cadmum, aut Africana Didonem fæminam. Et si enim utque Tyrii etiam fuerint, interest tamen ad puritatem aquæ, unde bibas, ex rivulo, an ex fonte. Provenit certè Filia Tyri, quam à majoribus gloriam accepisset, eamque tum clarissima prole, tum orbis asserito ac propagato feliciter imperio impensius amplificavit.

1501 Una Tyri vetusti Herculis Colonia Italica (Hispani adiacentem veterem Hispaniam nostrates hodiè vocitant Sevilla la vieja) quinq; eosque nobilissimos Orbi Imperatores dedit; Trajanum, Adrianum, Theodosium, ejusque liberos Arcadium, & Honorium Augustos. De Trajano auctores sunt Appianus in Hispanicis, & Marcellinus Comes in Chronico, & Eutropius l. 8. & multi alii. De Euseb. Adriano sic Eusebius anno 120. *Adrianus Italice in Hispania natus, consobrina Traiani filius fuit.* Lege Ambros. Morales lib. 9. cap. 31. ubi alios refert. Theodosium, Magnum à Traiano, & Adriano originem tulisse, testes sunt Aurelius Victor in vita, Pomponius Lætus in Compendio Historiæ Romanæ. Eum Italicæ civitati adscribit Marcellinus Comes, & Dexter in Chronicis. Atque huc respexit Claudianus Ode 2. de Nuptiis Mariæ & Honorii, filii Theodosii:

Procul audiant Iberi,
Fuit unde semen aula,
Ubi plena laurearum
Imperio facta Domus vix numerat triumphos.
Habet hinc patrem maritus,
Habet hinc puella matrem.

Claudi.

Porro Italicam tantorum Principum claram parentem, Orbis Dominam, Tyrii Hercules Coloniam fuisse, constans est veterum Hispanorum persuasio, ad posteriorem usque ætatem producta, atque ab omnibus ferè Hispanicis Historicis testata; quos id tradidisse, disertè prodit Florianus lib. 1. Chronici capite 14. et si de occasione ille dissentiat.

1502 Qui autem qualesve fuerint Italicenses Imperatores Tyrii, quantumque patriam, Tyri filiam, nobilitaverint, facile intelligent qui historicè scient vel ex cujusque cognomine rem totam ordiare. Trajanum acclamatio illa, Imperatoribus in Senatu fieri solita, posteritati commendavit; *Felicio Augusto, Melior Traiano*: narrat Eutropius lib. 8. Tyrim Traianus transgressus usque ad Eos Indorum terminos, tot subegit Nationes, ut permiserit Senatus quot vellet triumphos. Testis Dion in Traiano. Successit Adrianus, Princeps munificentissimus, qui Imperatoriâ liberalitate, quæ Imp. Trajanus armis pepererat, feliciter tueri potuit, Unde

Italicenses Imperatores Tyrii qui, qualesve.

Theodosius Senior Imp.

Unde *locupletator Orbis* nuncupatus est; auctore Spartiano in vita. Theodosii laudes nullo claudas compendio: non si Imperii Restitutorem dixeris, quod compressis Gottis, sublaris de medio Maximo, & Eugenio, Tyrannis, victor ac triumphator asseruit: non si Ecclesiasticæ majestatis vindicem, quam Imperatoris factis, legibusque justissimis in summam gloriam provexit: non si Idololatricæ acerrimum hostem, quam excisis Dæmonum aris, subversisque templis ac lucis prorlus exegit: non si Christianæ patriæ Patrem nuncupaveris, aut potius Evangelicæ Ecclesiæ filium pietissimum, quam enixè coluit, à qua impensè cultum, nulli non agnoscent ejus ætatis gravissimi Scriptores, Ambrosius Orat. in ejus Funus, Augustinus lib. 5. de Civit. Dei cap. 26. Sextus Aurelius Victor in Theodosio, & plerique alii. Tales tantos, unica Tyri Hispanensis filia jactat gloriosa filios, quorum illustri sanguine, clarissimisque facinoribus omnium planè filiarum Tyri gloriam prorlus obscurat.

Arcadius Imper.

1503 Præter Traianum, & Aelium Adrianum, atque Theodosium seniore, Arcadium ejus filium Italicæ quoque natum fuisse, auctores sunt Vaseus in Chronico, anno Christi 397. & Ambrosius Morales lib. 11. Chronici c. 20. Honorio fratri eandem adscribit patriam Vaseus, sed Morales Constantinopolim: & utriusque videtur favere Claudianus in Panegyri de IV. Consulatu Honorii. Vide eundem Poëtam in laude Serenæ Reginæ, ubi aliis Gentibus, Phariis, Aegyptiis, Illyricis, Gallis, ipsis etiam Pœnis Tyriis nobilissimis Hispaniam nobiliorem Tyri filiam præfecit. Obiiciat verò quispiam Afrubalem, Amilcarem, Annibalem, Pœnos, qui Australem Hispaniam in Punicum jugum magna ex parte dedidère. Maximè: sed agentibus Gaditanis Tyriis, quò se collatis viribus contra veteres tueri possent Hispanos. Itaque Hispanica Tyri filia felicissimæ Provinciæ opibus forem Africanam ultrò nobilitavit. Auctor Trogus Pompeius lib. 44. Quod si qua inde nota Hispanicæ hæsit, nonne cum impendio etiam satis deterfa, ac multro majori nobilitatis quæstu per tot Majestatis incrementa prorlus abolita? Hæc de genere gestisque præse: cætera jam nobilitatis capita summa tangemus.

Italica caetera nobi litatis capita.

Sapientia.

1504 Proximum sibi locum vindicat gloria litteraria, quam altius primò repetendam autumo. Strabo lib. 3. Geographicorum scribit, Bæticam (hanc magna ex parte filiam esse Tyri, nuper ostendimus) totius Hispaniæ doctissimam habitam, eximia ostentasse litterarum monumenta, ante annos sex mille tum profa, tum versa dictione conscripta. Quod ad annos attinet, quatrimestres erant, uti constat ex Xenophontis Æquivocis, qui bis mille nostros complent; unde Bæticorum scientias à Tubale repetunt probi quique ex nostris Historici, qui ab illo ad Strabonem ætatem bis mille numerant solares annos, sex mille quatrimestres. Straboni fidem facit justus sapientissimorum Hispanorum Catalogus, quem suæ adiecit Hispaniæ eruditus Lusitanus Damianus Goes, & quem multis posset auxisse alii veterum Theologorum, Philosophorum, Historicorum, Oratorum, Poëtarum claris nominibus, quorum egregia volumina certò confirmant, hanc Provinciam omni doctrinarum genere jam olim fuisse florentissimam, quæ

tam doctas aluerit Scholas, ex quibus Senecæ, Galliones, Melæ, Lucani, Sextilii, Viliti, Latrones, Felli, Aquilii, Columellæ, Victorii, Canii, Matroniani, Tiberiani, & quam plures alii illustres Bætici prodierint: neque enim Hispanos veteres universim recolimus. Cæterum, quod ex re sit, eos libet signanter nominare, utpote Tyro exorti, ad Tyri filiam proprius pertineant.

Hispanis encomia.

1505 Igitur, ut ab Hispani fausto auspice mur omine; benignum cælum, felix naturâ tellus Hispanenses edit sponte cultos, ingenio vividos ac peripicaces, nativa quadam eloquentia disertos, et si ad laborem alium non adeo liberalem minus fortasse proictos, in litteraria quidem opera omninò pertinaces. Illustria id testantur monumenta, & antiqua, & nova, quibus Hispanenses homines, non Hispaniam modò, sed orbem excoluerunt. Omitto præcos illos florentissimæ hujus urbis Doctores, quos & Episcopos sapientissimos fuisse constat, & eorum aliquos Hispani esse natos, prudenter creditur: Felicem, quem primum Jacobus Apostolus Episcopum Hispanensibus præfecit, Marcialum, Sabinum, Evidium, Deodarum, Sempronianum, Gentinum, Claudium, Marcianum, Sabinum II. Maximum, Laureanum, Epiphanium, Orancium, Zenonem, Asium, Maximianum, Salustium, Bigasium, Stephanum, Theodolum, Jacinthum, Reparatum, Stephanum II. Leandrum, & complures alios sanctissimos, atque doctissimos viros, quorum eximia sapientiam, aut Hispanis accepit, aut dedit.

S. Isidorus commendatur.

M. Maxi.

1506 Sisto in Isidoro, Leandri fratre ac successore meruissimo. Isidorum quidem Hispani fuisse natum locuples testis est M. Maximus Cæsaraugustanus Episcopus, ipsoque Isidoro coævus, in Chronico ad ann. Christi 600. *Isidorus Hispani Severiano patri exuli nascitur.* Ejus Doctorem virum egregium S. Davidè Hispanensem Archiepisc. idem designat Maximus. Qualis verò, quantumque ex Davidis schola prodierit Isidorus, otium est quærare in tanta non Hispaniæ dixerit, sed Christiani orbis luce. Duo Pontificia de Isidori sapientia observo dumtaxat testimonia: alterum Adriani 1. P. Maximi ad Egilam Episc. in Partibus Spaniæ, qui altera post Isidorum ætate vivebat. *Doctorem nostrorum SS. Patrum, si- cui nobis intimat, videlicet B. Sylvestri, atque Innocentii Papæ, pariterque almi Hieronymi, seu Isidori divinos sermones adnecte: si enim à regia non vis discedere via, prædictorum SS. Patrum censuram non deseras.* Addit SS. Augustinum, & Ambrosium; atque his tantis Doctores Isidorum æquare non dubitat. Alterum testimonium de summa Isidori doctrina tulit Leo IV. P. Max. in Epist. ad Episcopos Britanniciæ, quæ extat in Jure Canonico cap. de libellis 20. distinctione: ubi summus Pontifex rescribit, quæstiones dubias ex Conciliis, Pontificumque decretis primùm esse dirimendas, quòd si inde solutio non suppetat; *Tunc, inquit, si il-*

Leo IV.

lorum, quorum meministi, dista, Hieronymi, Augustini, Isidori vel cæterorum similiter sanctorum Doctorem similibus, reperta fuerint, magnanimitè sunt revinenda, & promulganda. Vide cum quibus solis & post quos unum exprimat Doctorem Isidorum; ex cujus scriptis, utpote doctissimis dubia quævis expedienda, Vicarius Christi decernit. Mitto domestica Concilii Toletani VIII. cap. 2. Ildefonsi Toletani lib. de

scriptis virorum illustrium cap. 9. Braulionis Caesaraugustani in praenotatione ad lib. Isidori; Lucae Tudenis lib. 2. adversus Albigenes cap. 7. de SS. Doctoribus.

S. Fulgentii landes.

M. Maxi.

1507 Neque unum protulit Hispalis Isidorum doctissimum; Fulgentium fratrem, Episcopum postea Carthaginensem, mox Astigitanum Hispali ortum. Idem testatur M. Maximus ad ann. Domini 594. Fulgentius nascitur Hispalis, patre exule in ea urbe. Ejus vero eruditionem commendat ad ann. Domini 626. Linguarum Graeca, Syra, Hebraica, Arabica, Latinaeque peritissimus Fulgentius, qui quatuor annis praesuit Ecclesiae Carthaginensi, habetur. Exiguum, sed non asophum pignus extat, liber de Mitologia, quem huic nostro Fulgentio adscribit ejuldemmet aetatis integer testis Maximus ad Annum Domini 641.

Reccaredus Rex.

M. Maxi.

1508 Utriusque Doctoris, atque Leandri eorum fratris nepos ex sorore Theodora, & Leovigildo Rege, nempe Reccaredus Rex Hispali etiam natus est, auctore eodem M. Maximo ad annum Dom. 603. Reccaredus Leovigildo Hispali commorante nascitur. Neque vero alienum existimavi, Reccaredum Hispalensem sapientissimis patribus adiungere; quorum disciplina in veram doctrinam proventus, arcanam haeresim, quae doctissimos alioquin homines in extremum ignorantiae barathrum transverfos egerat, Hispaniam prorsus exegit, atque universam provinciam veteri Catholicae sapientiae felicissimè restituit. Nationale Concilium Toletanum cogi ipse curavit, ubi & Arriana haeresis abiurata est, & in Nicenam fidei sanctè juratum à 72. Patribus, à Rege, Regina, univèrsaque Procerum frequenti Curia. Tantum ob facinus meritò à S. Synodo Catholicae Regi Hispalensi in has voces proclamatum: Cui praesens gloria, & aeterna, nisi vero anatori Dei Reccaredo Regi? Ipse novarum plebium in Ecclesia Catholica conquistor. Ipse mereatur veraciter Apostolicum meritum, qui Apostolicum implevit officium. Meritò à summo Dei Vicario Gregorio Magno lib. 1. Dialogo cap. 3. verae fidei praeceptor nuncupatur. En igitur quales Tyri Colonia filios ediderit, Episcopos litteratissimos, Reges Apostolico munere, merito, sapientia gloriosissimos.

S. Synod.

S. Greg.

Hispalis per omnes aetates sapientissimas.

Arias Montanus.

P. Joannes Pineda.

P. Ludovicus Alcazar.

1509 Neque verò his illa tantis effoeta partibus, imò per omnes aetates fecundissima, nunquam desinit felicissima Christo ingenia progignere, quae eruditum hoc saeculum, etsi adeò criticum, meritò reveretur. Benedictum Ariam Montanum Hispalensem, Regio illo Bibliorum opere, totque praeterea doctissimis in eadem sacra Biblia Commentariis clarissimum: Joannem Pinedam, illustrato Jobo, locupletato Salomone, ornato demum Ecclesiaste, per universam Dei Ecclesiam celebratissimum, cui quidem sapienti Doctori nostro, etsi optasse-mus maximè, parem tamen honoris, ac laudationis gratiam nunquam referemus. Ludovicum Alcazarem, mystico ingenio virum, & ad difficillima quaeque divinarum Scripturarum aenigmata disquirenda, ac dissolvenda fausto exortum fidere; cui unum testimonio est Apocalypticum, grande opus, quo, universos ille Joannes scrupos, scirpos, gryphos Christianus Oedipus, uti doctis quidem jure visum, feliciter expedit, rumpantur licet invidentià nocturni momi, semper ipsi inertes, semper tamen divina quaeque opera car-P. Didacus peptes. Didacum Ruiz de Montoja, passim di-

ctum Theologum profundissimum, uberrimum, copiosissimum; unum heroicis Ecclesiae temporibus parem; Athanasio, Hieronymoque perfimilem, & cujus doctrinae debere poterat pro theatro Synodus oecumenica; ut facile persuadent ingenii & doctrinae suae monumenta in lucem edita. Praetereo plerisque alios similis notae eximios Hispalenses Theologos.

1510 Sed ad aliam Tyri Hispaniensem Coloniam, & quidem Baeticam, gradum faciamus, atque eadem sapientiae gloria nobilissimam demonstramus. Garnata ea est, tum humana, tum divina litteratura jam olim clarissima. Quod ad humaniorem attinet, eam urbem conditam fuisse ab Illiberia, auctor est, post alios, Franciscus Tarapha libro de Regibus Hispaniae, ubi Illiberiam Hispani Regis filiam Herculis vetustioris, quem Tyrium diximus, fuisse proneptum scribit, ac proinde Isidis abnepotum. Hanc verò Isidem, eandem esse Minervam, auctores sunt Plutarchus lib. de Iside, & Apuleius lib. 10. Metamorphoseos. Igitur Illiberia à Minerva proavia diligenter edocta Illiberim olim, nunc Garnatam construxit, avitaeque illam sapientia excoluit circa sextam aetatem à Noëto Diluvio. Si vera haec Illiberitanæ conditricis genealogia sit (quis enim in tanta vetustate quicquam affirmet?) Minervæ genus antiquissimum jactare poterunt Garnatenses Illiberitani: neque jactare frustra, cum re ipsa avitam praeseferant, hodieque haereditariam sapientiam. Pro humaniori haec, argumento sit illud Strabonis testimonium, quod universam de Baeticis ex ipsius l. 3. superius indicavimus.

1511 Divinam autem doctrinam inter primos Hispanos Garnatenses ab Apostolo Jacobo, ejusque Discipulis accepisse, testes sunt Apostolicae (ut fertur) antiquitatis, venerandaeque religionis plumbei illi Garnatenses libri à Caecilio & Ctesiphonte Episcopis & Martyribus, ejusdemque Apostoli comitibus, accuratè conscripti, summa fidei Catholicae mysteria continentes: testis sacra illa Montis Valparadisi spelunca, Jacobi Apostoli inter mortales adhuc degentis praesentia quondam illustrata, Discipulorum sanctissima vita, gloriosoque martyrio nobilis, millena ferme ac sexcenteno insuper tantorum librorum veluti foetu, sero jam, sed felici tandem nostri saeculi litterario hoc partu felicissima. De quibus libris nihil certi pronuntio, quoad usque à sede Apostolica recogniti & approbati.

1512 Neque verò antiquata solida illa doctrinae gloria, nudum dein Theologiae nomen retinuit Garnata; imò quam Evangelicam sapientiam maturius semel hausisset, constanter semper asseruit, atque posteritati consignavit clarissimis testatam argumentis. Primum illud extitit (ut fertur) quod sacra Garnatensis Synodus ex Apostolicis Discipulis S. Jacobi ad antrum illud doctrinae coacta, dum Evangelicam sapientiam grandiori apparatu ab hostibus tueri consultant, proprio effuso sanguine firmius communiunt. Auctor Dexter in omnimoda Historia, Anno Domini 57. & 58. his verbis: Jacobi Discipulorum nonnulli sub Alogo Neronis Judice, dum ad Concilium Illiberi conveniunt, flammis exusti, suis spoliati, suorumque bonis omnibus, generose morientes, pro Christi confessione coronati sunt. Illiberi, ait, rem gestam, quâ plumbeae laminae indidem effossae, in eadè Garnata-

Ruiz de Montoja.

Garnata, sive Granata Tyri Colonia Hispaniensis commendatur.

Granata sapientissima.

Dexter.

Garnata.

Garnatensi spelunca accidisse produnt; nimirum vera est eruditiorum hominum sententia, qui totum illum terrae tractum Illiberis nomine habent. Deinde tertio ab illinc saeculo alteram, eamque frequentiore ex universa Baetica Synodum Garnata concivit, ascitis etiam aliis reliquae Hispaniae Partibus, quorum gravissimis decretis rem Christianam per universam Provinciam mirificè promovit.

Granatenses Praefules inclysi.

Osè. 2. 15.

Agarena barbaries.

P. Franciscus Suarius Granatensis commendatur.

Barcinonenses viri sapientissimi.

1513 Suspexere felicissima illa tempora Garnatenses Praefules, doctrinam ac sanctitate admirabiles, Caecilium, Flavium, Orentium, Augustalem, Gregorium, Stephanum, Baddum, Pisinum, Eterium, Alam, Argibudum, Joannem, Centurionem, & complures alios ejusdem notae clarissimos viros, quorum plerosque Garnatae fuisse ortos, antiqua probat eorum temporum consuetudo, qua Clerus ex eademmet Ecclesia Episcopos ut plurimum sibi deligebat; monitò Osèe 5. 15. Dabo ei vinitores ex eodem loco: ubi Chaldaeus: Constituum ei inde gubernatores ejus: qui scilicet vinetum probè cognoscerent; quod id maxime temporis utilissimum esset, cum vinea Domini, vix dum firmata stirpe virtutis, in gemmas lactesceret. Invaluit consultissimus quidem mos, quandiu stetit cum Regno Ecclesiae simul Hispaniensis felicitas; at postquam Tartareis effusa tenebris in Hispaniam prorupit Agarena barbaries, totumque hujusce Christi Sponsae decorem defaedavit turpissimè, atque Garnatensem, praeter ceteris amoenissimam, felicissimamque Provinciam diuturniori oppressit Tyrannide; ut antiquae fidei scintillae extinctae Arabicis consopitae, usque adeò Christianis plurimorum Martyrum Garnatensium (quos in monte S. Helena supra Alhambram passos accepimus) cineribus obiectae jacuerunt, ut non nisi post septingentos ferme annos tandem effossae, tandem exufflatae revixerint, atque altera prope surrexerit Phoenix ex proprio aliquando busto pulchrior, vegetior, vividior, sapientior Garnata.

1514 Quanto autem inpendio ea urbs pristinae sapientiam sibi restituerit, etsi aliis possem loculentissimis testibus probare, unum tantum suffecerit protulisse, sed omni quidem exceptione majorem. Hic ille est Franciscus Suarius, nobilis Garnatensis, religione certè, ac Theologia nobilissimus, quatuor supra viginti justis Theologicis voluminibus confarcinatus, Societatis JESU ordinatissimum decus, primariis illis Scholasticæ Theologiae Proceribus meritò adnumerandus, sive absolutissimam spectes sapientiam, sive locupletissimam eruditionem requiras, sive prudentissimum ac felicissimum opinionum consulas judicium; contra quae insidiosè fortassis gannire, sed non tamen exerta voce vel adlatrare ausi, qui splendida quaeque profcindere invidiosè praegestunt.

1515 Finitiam litterariam nostratis Filiae Tyri gloriam, si vel unius apud Celtiberos Tyriensis Coloniae nomen saltem libaverim. Joannes Episcopus Gerundenis libro 2. Paralipomenon auctor est, ab Hercule cum Tyrii fuisse conditam clarissimam Urbem Barcinonem. Eam porrò, praeter alia ornamenta, jam olim litteratissimam testantur illustria monumenta, quae viros numerant Barcinonenses doctissimos. Dexter quidem Barcinone-

natus in omnimoda Historia hos laudat sapientiam insignes Praefules Barcinonenses: Severum Martyrem tum in Concilio Nicæno, tum etiam inde reversum Barcinonè Arrianorum hostem acerrimum: Praxetatum eximium Athanasii Alexandrini in Concilio Cordubensi simul cum aliis centum Patribus defensorum: Pacianum invictum prorsus Novatianorum malleum. His addit eundem Dexterum, Paciani Filium, pium, prudentem, ac doctum; sic enim vocat Maximus Caesaraugustanus in Chronico. Adice celebrem illum Paulinum Nolanum Episcopum, quem Barcinone fuisse natum, auctor est Jacobus Prades lib. 2. de Adoratione Imaginum cap. 7. Mitto alios qui exquisitè Theologicè doctrinam Hispanas Synodos illustrarunt, Lampadium, Theodosium, Avitum, Nebridium, Agritium, Paternum, Emilam, Idalium. Recentiora sunt nobilium Barcinonensium illa nomina; Raymundus Pennafortius, vir Apostolicus, Theologia juxta, atque Jurisprudentia. Hugo doctissimus Cardinalis Raymundo coævus, uberrimo totius sacrae Scripturae Commentario celebris. Guido Episcopus Helenensis plurimis non diu post scriptis clarissimus. Raymundus Lullius, quem mille condidisse ingeniosa volumina, auctor est Lauineta Parisiensis Doctor. Haec nos levi nostra Minerva; plura conferent Barcinonenses.

Filiarum Tyri Hispaniensium tria haec protulisse suffecerit exempla, ex quibus liceat cognoscere, reliquam Provinciam sapientissimis hominibus semper fuisse confertam; qui hac etiam nobilitatis parte à literario splendore desumpta Hispaniam Tyriensem praeter ceteris Tyri coloniis illustrarunt. De ejus divitiis factis supra diximus: de religione abundè infra dicemus. Igitur his positus, ad sacra propero Hispaniensibus multum conciliatura splendorem; nec non Ecclesiastici verbis, quae versamus.

SECTIO XXIII.

Avita, & eximia Hispanorum religio in Christum, & Deiparam accuratè illustratur ex Psalmis.

1516 Historice praemissa maxime deferriunt sacris vaticiniis, quae ad praefixam thesim jam expendo; ex Regio Psalmo-grapho in primis.

Psalmo 2. 8. sic aeternus Pater Filium humanam indutum naturam alloquitur: Postula à Pl. 2. 8. me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam; & possessionem tuam terminos terra. En in priori hemystichio generalem propositionem de universarum Gentium vocatione: ut enim S. Cyrillus in Catena: Pro gente una errante, S. Cyrill. & concitata Israel, Gentes omnes Christo adscriptae sunt. Subtexit autem ex speciali praerogativa: Et possessionem tuam terminos terra; Hispania emphaticè quidem, & antonomastice, terminos terra, appellans Hispaniam nostram, Australem praesertim; nam terminos terrae penes Gades collocarunt Geographi, & Poetae, ut Sectionibus proximè antelapsis statuebamus. Porrò hoc vaticinium ad Hispaniam nostram reulit Sanctus Leander Ser. in Concil. Toletano III. & nonnulli Interpretes Biblicè periti. Hispaniam igitur, securam, integram, & illibatam Christi possessionem praedicat